

Sammelband von Dina



U. g. 1975

PI

THEOREMATA

Disput. 3. lib. 2. Inst.

DE AMPLIS-
SIMA AC FREQUEN-
TISSIMA SERVITVTVM PRAE-
DIALIVM MATERIA, EX TITVLO III.
d. libri 2. Inst. & concordantibus iu-
ris textibus transumpta.

QV AE

DEO TER OPT. MAX, Auspice

PRÆSIDENTE

Nobilissimo ac Consultissimo viro

Dn. ARNOLDO DE REYGER I. V. D.
in alma Salana, publico pandectarum profes-
sore dignissimo,

*Proponit, ac pro curtis ingenii viribus
defendere studebit*

CASPARVS à TEVTLEBEN.

Ad 24. diem Augusti, tempore & loco
consucto.



I E N Æ

TYPIS TOBIÆ STEINMANNI.

ANNO MD. C. XCIV.



Nobilissimo Viro,

I O H A N N I E R N E S T O
A T E V T L E B E N, I N Laucha/
& Wenigen Gummern. / ILLVSTRISSIMORVM A C
Celsissimorum Saxoniae Ducum, Inclyti Dicasterii
provincialis praesidi, & aulae Coburgensis
Consiliario, Parenti suo omni ob-
servantiae studio co-
lendo,

*Has studiorum suorum primitias,
Debitae pietatis, ac gratitudinis ergo,
Reverenter dedicat & consecrat*

C A S P A R V S à T E V T L E B E N F.
Respondens.





Continuatio.

IN duabus prioribus huius libri disputationibus, de rerum divisione & aliquot modis rerum corporalium domini iure gentium acquirendi dictum est, Sequuntur nunc jura servitutum, quæ ad res incorporales referuntur & domini appellatione comprehenduntur, de quibus iam methodi lege & ordine D. Justiniani ita postulante, agendum erit.

T H E S I S I.



EST AVTEM SERVITUS ius in re aliena ad nostram, vel rerum nostrarum utilitatem & commoditatem constitutum: quod totum in patiendi aliquid, aut non faciendo consistit.

Arg. l. 5. §. 1. ff. si usus fructus pet. & l. in rem comm. 26 ff. servit. urb. præd. l. quoties 15. ff. de servit.

II.

Estq; duplex Realis sive prædialis, & personalis.
in pr. 1. & 2. §. Inst. h. t. nost. & l. 1. ff. eodem.

III.

Servitus realis, est ius prædii, quo ei prædium alienum servit. *Vult. lib. 1. jurispr. Rom. cap. 63.*

IV.

Atq; hæc prædialis servitus pro diversitate prædiorum, quæ hic non situ, sed usu & materia distinguuntur, in rusticam & urbanam dividitur, quarum utraq; causam debet habere continuam.

tot. i. inst. hic l. 1. ff. h. tit. l. 198. ff. de verb. sig. l. foramen 28. ff. de servit. præd. urb.

A 2

Ser-



V.

Servitus rustica est, quæ inhæret prædiis rusticis, ad usum percipiendorum fructuum, & agri nostri vicini comparata. *VVes. in parat. hic nu. 1.*

VI.

Inter servitutes rusticas numerantur, Iter, actus, via aquæ ductus, quæ tanquam præcipuæ & magis necessariae directo prædii rustici respectu constituuntur eidemq; inserviunt. *in pr. inst. h. t. & l. 1. in pr. ff. eod. VVes. in parat. d. loc.*

VII.

Iter est ius eundi, ambulandi, hominis tantum, pedibus, equo, sella per fundum vicinum.

In pr. inst. hic l. 1. 7. & 12. ff. b. 1.

VIII.

Actus est ius agendi iumentum vel vehiculum, quod ius qui habet ei & iter per consequentiam debetur.

Inst. hic. & d. l. 1. ff. eod.

IX.

Via est ius vehendi, agendi, & ambulandi.

Inst. d. loc. ibidemq; VVes. Conan. lib. 4. comment. 1. C. cap. 11. Cuiac. obs. lib. 22. cap. 35.

X.

Atq; actus & itineris quidem latitudo conventionalis aut arbitraria est: Viæ verò conventionalis aut legitima ex lege enim duodecim tabularum via in porrectum octo pedes habet, in anfractum sive in flexum propter vehiculorum vertendorum facilitatem sedecim.

l. via 8. l. certo 13. §. 2. ff. de serv. rust. præd.

XI.

Aquæ ductus est ius aquæ ducendæ per fundum alterius, quod canalibus, rivis, vel fossis fieri solet.

Inst. hic l. 1. & 15. ff. eod. l. si manifestè 7. C. de servit.

XII.

Inter rusticas quoq; servitutes obliquè computantur, Aquæ haustus, pecoris ad aquam appellus, ius pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ: hæ enim si non per se, per intermedia & consequentia tamen prædio rustico inserviunt.

§. inter

S. inter rust. 2. ubi Dd. inst. h. r. d. l. 1. §. 1. & l. 4. ff. eod.

XIII.

Aquæhaustus, est ius hauriendæ aquæ ex fonte, vel puteo privato, & alia quavis aqua non publica, pro utilitate fundi nostri vicini.

l. 3. §. f. & l. si mihi 20. in §. ff. h. r. nost.

XIV.

Pecoris ad aquam appulsus est ius pecus suum ad fontem vel aquam vicini prædii appellendi.

l. 1. in §. & l. 4. ff. h. r. Vult. d. cap.

XV.

Servitus pecoris pascendi, est ius pascendi pecoris in alieno prædio vel sylva. *l. 3. in pr. & l. 4. ff. eod.*

XVI.

Servitutes calcis coquendæ & arenæ fodiendæ, sunt iura coquendi calcem, effodiendi arenam in fundo alterius quantum pro agri fundive sui vicini necessitate sufficit.

S. inter 2. Inst. h. tit. l. 5. ff. eodem.

XVII.

Tandem ex receptissima Germaniæ consuetudine ad servitutes rusticas haud incommodè referri possunt, iura venandi, aucupandi, lignandi, piscandi, in nemore & flumine alieno, aliaq; consimilia iura, quæ à re rei, communitati, Castro, vel villæ alterius debentur.

Zas. in sing. intellect. lib. 1. cap. 2. Geyl. lib. 2. obs. 66.

Atq; tantum de servitutibus rusticis, quæ in solo, Sequuntur urbanæ, quæ in superficie consistere dicuntur.

XVIII.

Urbana servitus est, quæ urbanis prædiis inhæret, & ædificiis habitandi gratia extractis debetur.

S. urbanorum 1. inst. h. r. l. urbana 198. ff. de Verb. Sig.

XIX.

Huius species recensentur servitus oneris ferendi, ligni immittendi, stillicidii avertendi, altius tollendi, luminibus officendi, & similes. *Inst. d. §. 1. 2. ff. h. r.*

XX.

Oneris ferendi servitus, est ut prædium urbanum

vicini necessarium nostrarum ædium onus ferat, quam
servitatem qui debet, speciali iure etiam ad collapsi pari-
etis vel columnæ refectionem tenerur.

*l. eum debere 33 ff. h. t. & l. sicut autem 8, §. distant 2. ff. si ser-
vend.*

XXI.

Tigni servitus, est ius ex nostro ædificio in vicini pa-
rietem tigna seu trabes immittendi, ut ibi requiescant.

l. hoc quod dictum 25. ff. h. t. d. l. sicut autem §. 1. & seq.

XXII.

Servitus stillicidii, est ius stillicidii vel fluminis in a-
ream, tectum, vel cloacam, vicini avertendi & derivan-
di, quod altius quidem tolli & retroduci, non autem in-
ferius dimitti, aut produci potest.

l. servitutes 20 § 2 cum sequent. ff. hoc t.

XXIII.

Servitus altius tollendi, est ius, quo vicinus ædes
suas altius tollere potest: quod etsi cuiq; in suo solo in in-
finitum concessum videatur, tamen pacto, statuto, vel præ-
scriptione aliud induci potest, ut ita naturale illud tol-
lendi ius prius alteri cessum, denuo ex nova concessione
non libertatis prioris, sed novæ servitutis iure quis ac-
quisitum habeat.

*l. Altius quidem 8. cum l. seq. VVes. & Cuiac. in §. equè de act.
Gail. l. 2. ob. 69. Vult. lib. 1. Discept. cap. 5.*

XXIV.

Servitus officendi luminibus, est ius, quo vicinus
potest officere luminibus vicini.

l. si servitus 23 ff. h. t. Borch. sup. §. 1. inst. h. t.

XXV.

Atq; hæ ferè præcipuæ urbanarum servitutum spe-
cies affirmativæ sunt, quibus rectè cognitis, cognatæ ac
negativæ facile dignosci poterunt.

Videatur Cæpolla. in tract. servit. urb. cap. 29. & sequentibus.

XXVI.

Constituuntur porrò servitutes tam rusticæ, quàm
urbanæ conventionem inter vivos & ultima voluntate; nam
& in testamento & codicillis, quis heredem ad præstan-
dam

dam servitutem damnare potest, item consuetudine seu loci statuto sæpe huiusmodi servitutes vel quasi induci solent. *G. ult. inst. hoc t. l. 14. 15. 16 ff. commun. pradior. urb. l. 5. via ff. de servitut. l. 1. C. eodem tit. Borcholt. in tractatu de pact. cap. ult. nu. 39.*

XXVII.

Diuturno quoque usu & longa quasi possessione hodie servitutes prædiales indistincte, acquiri ac contra prædii servientis dominum etiam ignorantem præscribi possunt; quamvis id olim valde controversum fuit.

l. si quis diuturno 10. ff. si servus l. sequitur 4. G. ult. ff. de usucap. l. servitutes 14. de servitut. & l. si aquam 2. in pr. C. eod. tit.

XXVIII.

In harum autem constitutione & acquisitione pro possessione usus intervenit, pro traditione patientia: sub conditione verò vel ad certam conditionem, aut ex tempore vel ad tempus constitui nequeunt, quamvis ex die aut sub conditione servitus recte promitti & utendi modus adjici possit.

l. ult. de servitut. l. 1. in f. ff. de servit. rust. pr. & l. servitutes 14. ff. de servit. l. existimo 98. de verb. obligat. VVes. in parat. de servi. n. 8.

XXIX.

Nec pro parte domini servitutes hæ acquiri vel adimi possunt, licet ad certam fundi partem recte constituentur & acquisitæ pro parte retineantur.

l. ut pomum 8. l. pro parte 11. l. ad certam 6. ff. de servit.

XXX.

Denique amittuntur hæ servitutes confusione prædii dominantis & servientis, remissione verbis vel facto declarata, & concessione actus debitæ servituti contrarii, negligentia quoque non utentis & usucapione libertatis.

l. 1. 8. & 18 ff. quemadmodum servit. amit. ibidemque VVes. in parat. n. 3. l. pen. C. de servit.

Πορίσματα.

Π Ο Ρ Ι Σ Μ Α Τ Α.

I.

A Nob servitutes novum opus nunciari possit, magna inter Dd. est controversia, nos affirmativam probabiliorem putamus.

II.

Vulgata servitutum prædialium divisio in continuam, qua à Dd. communiter approbatur, neq; iure neq; firma ratione subnixa videtur.

III.

Ad usucapionem servitutis etiam iustum titulum desiderari contra Dd. affirmamus.

IV.

Etsi vasallus citra caducitatis periculum prædio feudali servitutem imponere potest: Feudo tamen ad agnatos vel dominum redeunte: ea extinguitur.

F I N I S.



99 A 6904


ULB Halle 3
004 976 38X



TA 30L







AV

THEOREMATA

Disput. 3. lib. 2. Inst.

DE AMPLIS-
SIMA AC FREQUEN-
TISSIMA SERVITVTVM PRAE-
DIALIVM MATERIA, EX TITVLO III.
d. libri 2, Inst. & concordantibus iu-
ris textibus transsumta,

QV AE

DEO TER OPT. MAX, Auspice

PRÆSIDENTE

Nobilissimo ac Consultissimo viro

Dn. ARNOLDO DE REYGER I. V. D.
in alma Salana, publico pandectarum profes-
sore dignissimo,

*Proponit, ac pro curtis ingenii viribus
defendere studebit*

CASPARVS á TEVTLEBEN,
Ad 24, diem Augusti, tempore & ioco
consueto.



I E N Æ
TYPIS TOBIÆ STEINMANNI,
ANNO CLD. IS XCIV.